

11598,18

(X 1785354)

II i
1167

DECANUS
FACULTATIS PHI-
LOSOPHICÆ
IN ACADEMIA LIPSIENSI,

Ad

Solennem Magistrorum Renunciationem

a. d. XXV. Januarii Anno Christiano MCC.

obſervanter & studioſe


invitat,



Literis JOH. GEORGII.

52

objach at B. Conar Euaydus. Notar.



IV



Bernardus Connor, Medicinæ Doctor, e Regia
Societate Londinensi, nec non e Regali Medicorum Lon-
dinensium Collegio, cuius in rebus naturæ & medi-
cis eruditionem ex Dissertationibus Medico- Phy-
sicis, Oxonii A. M DC XCV. editis, & in Acta
Eruditorum Lipsiæ relatis Anno M DC XCVI. mense De-

cembri pag. 554. Orbis literatus æstimare cœpit, Evange-
lium Medici, seu Medicinam Mysticam scripsit, Londini An. M DC XCVII.
typis impressam, in qua de suspensis Naturæ Legibus, sive de Miraculis, re-
liquisque ēv Ιοῦ βιβλίοις memoratis, quæ Medicæ indagini subjici pos-
sunt, egit. Quod argumentum cum non solum arduum sit, sed & tam ac-
curate cogitateque nullus expenderit, libri desiderium excitavit quam-
plurimis, cui explendo altera editio Amstelædami An. M DC XCIX. pro-
diit. Summam dictorum, ubi Collectores Actorum An. M DC XCVIII.
mense Augusto pag. 355. recensuissent, censuram Lectoribus relinquunt,
dubitantes ea, quæ paradoxa in iis occurunt, omni parte probatum iri.
Ea nos paradoxa in præsenti notabimus, procriptionis hujus ratione
brevibus, Auctore ipso in extremo Evangelii sui invitante, atque judicium
aliorum expetente. Primum Paradoxum plurimi forte accipient, dum
articulo secundo statum corporis humani secundum naturam considerans,
Tres Hominis partes enumeravit: *Homo*, inquit, *totus ex triplici coalescit*
substantia, juxta 1. Thessal. V, 23. Spiritu, Corpore & Anima. *Spiritus est pars*
hominis cogitans, quæ vulgo anima rationalis nuncupari solet, et si nullum
animæ ministerium vere exerceat. Anima sunt fluida Corporis, Sanguis
nempe ac spiritus animales. *Corpus vero ipsum est mira illa ac concatenata*
partium solidarum seu organorum series & fabrica, que Spiritus & Animæ
fulcrum est & domicilium. *Spiritus rationis judex, cum libero agat arbitrio,*
animæ, quæ necessitate quadam operari cogitur, munia non obicit, sed sensus
duntaxat est auctor, & motus voluntarii arbiter. Anima vero, seu humores &
liquor nervorum vitam corporis conservant, involuntarios nempe cordis & re-
spirationis motus suo motu producunt. Etenim Sacer Codex, duas, quæ
Hominis naturam componunt, partes nominare solet, corpus & animam,
quam נֶשֶׁת חַיִּים Spiritum vitæ appellat Genes. II, 7. ex quo factus
est homo εἰς ψυχὴν ζωσαν, in animam viventem, interprete
Apostolo 1. Cor. XV, 45. hoc est non tantum animal, sed & homo. Lege
Joannis Clerici Commentar. in Genesin. Eandem animam, modo ψυχὴν
Matth. X, 28. c. XXVI, 38. modo רָוחַ Ecclesiast. XII, 7. ψυχὴν 1. Cor.

VI, 20. c, VII, 34. Coloss. II, 5. Jacob, II, 26, nuncupat. Quod ergo Paulus
I. Thessal. V, Spiritum ab Anima secrevit, si de homine regenito locutus, per
Spiritus gratiam Spiritum S. intellexit, prout explicarunt Gennadius, Hiero-
nymus, Chrysostomus & alii Ecclesiæ Patres, et recentioribus, Flacius, Ca-
meranus, Thunimius, Lutkemannus, Glassius, nihil ad præsens pertinet;
si hominem physice consideravit, Calvino, Zanchio, Bezae, Piscatori, Cro-
cio & e Papistis Estio, Spiritus appellatione mentem, Animæ nomine inferio-
res facultates notavit: non quasi duæ sint Animæ, sed quod suo more
functiones unius ejusdemque animæ distribuat, aut etiam per Spiritum men-
tem, per animam voluntatem & affectus significavit, ut placuit Auctori bus
Novæ Translationis Belgicæ, & Vœtio, Riveto, Klotzio, Balduino. Quod
si etiam concedamus duas in homine Animas, unam cum bestiis commu-
nem, in Sanguine & Spiritibus animalibus consistentem, alteram Spiritum
vel mentem, distinctione loca Scripturæ conciliabimus. In ijs, quibus duæ par-
tes Hominis dicuntur, Animæ aut Spiritus vox sumitur pro Mente vel princi-
pe Anima, quæ rationalis est, cui subest anima sensitiva, ut potentia & organo,
in ea vero Pauli sententia, anima illa subordinata distincte a Spiritu nomina-
ta est. Etenim Mens non quidem immediate, sed mediante sanguine & Spi-
ritibus animalibus vitam corpori & motum largitur, quod ipse Autor non po-
terit inficiari. Ultut enim motus involuntarios, nempe cordis & respirationis
a mente provenire prorsus neget, docet tamen ab eadem esse sensum, qui sa-
ne interventu Spirituum animalium percipitur, & saepe involuntarius est. Et
brutane, quibus nulla mens, sensu carere novo paradoxo afferet? quod sibi
placere indicat Art. XII. Psittacos sensus expertes perhibens. Scilicet nihil ob-
stat, quo minus Mens pro potentiarum diversitate non una ratione munia
sua obeat, Grandius videtur Paradoxum alterum in Art. V. de vigentibus
Motus Legibus, in quo Motum, ait, in se revera nihil esse ante intellectus ex-
amen, sed esse mentalem tantum de moto corpore respectum. Verum, annon
movetur revera corpus ante intellectus examen? annon transit de loco in
locum nullo animo concipiente. An quod nihil est, capit incrementa &
decrementa? Vero similius ergo Joh. Alphonsus Borellus in libro de vi Per-
cussionis Cap. I. motum in genere quantitatis continuæ successivæ ponit.
Infra Auctor noster Art. XV. docet: Diversæ Animæ cogitationes sunt totidem
ejusdem modi, uti diversæ motus species sunt diversi corporum modi. Cogi-
tatio & motus pari respectu sunt peculiares utriusque modi. Cogitationes-
ne & modi nihil sunt? Hinc Tertium Paradoxum, quod ex antecedente
fluit, mox difflit: Corpus impingens in corpus obvium, nihil in id transmit-
tere

tere, etiam si hoc loco pellatur suo, neque deperdere aliquid. Itane globus
plumbeus, et tormento bellico in murum projectus, eumque concutiens &
diruens, nihil motus transfert, & qui lapidem e manu projicit, nihil motus
projecto corpori & aeri circumfluo confert? & a mente tantum est, si ro-
bustus homo longius projicit, quam infirmus? Si nihil, quod celerrime
movetur, cuius in momento motus sistitur, amittit, cur ipse art. IX. Legem
motus suspensam tradit? corpus quodvis motum suum subito deperdere
poterit, nec in aliud corpus transmittere. Et quia quartum Paradoxum
prioribus innititur, & ipsum ruet. Ex his, inquit Art. V. inferrefas est, quod,
cum motus alicujus corporis in se nihil revera sit, non poterit esse vera, efficiens,
aut naturalis causa, cur aliud corpus moveatur, in quod motum corpus irruit:
sed corpus motum seu appellens est tantum occasio, cur quietum corpus, juxta
statutas motus leges, & supremo motus Auctore moveatur. Quare, etiam si
vulgo existimemus, quod corpora omnia a se invicem moventur, a Deo tamen
solo vere, immediate, & unice moventur. Moventur tamen juxta Leges ab
ipso stabilitas. Nempe quod unum corpus non tantum ex occasione motus
alterius corporis appellentis & irruentis moveatur, sed etiam juxta diversas
utriusque corporis conditiones, diversis motus speciebus. Et post pauca in-
terjecta: Cum igitur motus sit effectuum omnium causa unica, & motus uni-
ce & immediate a solo DEO procedat, DEUS erit unica & immediata effectu-
um omnium causa. Ac proinde materia, materiae figura & moles, quæ vulgo
naturales, seu secundæ cause vocantur, vere cause non sunt, sed tantum pas-
siva quedam, apta tamen instrumenta, & occasiones, quæ summum opificem
ad producendos, quibus destinatas sunt, effectus determinant. Art. VIII. scri-
bit. Igneas particulas non comburere ex innata ulla virtute, aut insito im-
petu, sed quia supremus motus Auctor voluit, ut ex occasione hujus impetus,
ipse dissolvat seu comburat projecta in ignem corpora. In his primo conci-
liet, motum esse in se nihil, ac per hoc non posse esse veram causam, & ta-
men esse effectuum omnium causam unicam, unice & immediate a solo
DEO hoc nihil procedere, & per hoc nihil DEUM esse unicam & immedia-
tam effectuum omnium causam; motus naturam esse divinam volunta-
tem. Deinde videat, annon in opinionem inciderit, quæ Petro Aliacensi
& Gabrieli Bieli, duobus Theologis Sententioriis tribui solet, Creaturas
nihil prorsus efficere in productione effectuum, sed solum DEUM esse
causam veram efficientem omnium: qui interrogati, unde sit, quod Sol
dicatur calefacere, & Ignis urere, responderunt ea dici, quia DEUS non ni-
si ad præsentiam Solis calefaciat, & ad præsentiam ignis urat. Quam sen-
tentiam

tentiam ridiculam pronunciant & rejiciunt Philosophi & Theologi etiam Reformati, cumque ipsis Robertus Baronius in *Metaphysica Generali Sect. VIII. Disp. III. pag. 141.* Cum hac vero sententia rursum non consistent loquendi rationes, quas usurpat, Art V. Unum corpus, etiam si eodem motu gradu raptetur ac aliud, juxta diversam tamen molem & texturam, longe diversum ab alio corpore effectum producit: Imo, etiamsi similis foret textura, pars motus gradus, & equalis utriusque corporis magnitudo, si figura discepit, diversos quoque effectus elicit & operabuntur. Art. VIII. Lex motus in flagrante igne est, ut quodvis projectum corpus accendat aut dissolvat, seu partibus illius dissociatis motum communicet: poterit tamen flamma motum non communicare projecto corpori, etiamsi motus ipsius proprius semper in vigore persistat. Verum praeter spem accredit ita haec tractatio, ut reliqua paradoxa indicare duntaxat oporteat. Sit ergo hoc Quintum ex Art. X. Mulier sola totum fere generationis opus perficit; ipsa sola semen, seu rudimenta Corporis, ante viri consortium continet &c. Vir autem post unius momenti voluptatem nihil amplius de prole cogitat, & in ipso libidinis aestu tam parum generando fœtui suppeditat, ut vix Parentis nomen mereatur: nullum enim est in viro semen, & nihil largitur praeter fermentum quoddam seminale, quod partes fœtus non format, sed jam formatas expandit: uti enim agricola sismo, cineribus, calce viva, aut arenis, tanquam totidem fermentis, terram colit, ut projecta ac sata semina producat: sic mas latentia tantum in feminæ seminibus germina prolifico quoddam fermento fecundat. Matres etiam ipsæ non tam matres vere sunt, quam Matrices, in quibus semina aliunde formatæ pullulant; feminæ enim semen ipsæ aut fœtum non format, sed ipsum tantum jamdiu formatum nutriendi: imo ipsum magis non possunt non nutritre, & parturire, quam ferax solum sata semina ardente aestivo Sole non potest non expandere & proferre &c. Sextum Paradoxum magnopere offendet Theologos Art. XIII. his verbis propositum: Mortui omnes renascentur cum eodem corpore, & cum eadem materie quantitate, cum qua primo nati sunt, imo forsan cum qua in utero generatis sunt. Et mox: Omnes (redivivi) erunt aequalis magnitudinis, omnes erunt cum iisdem partibus, cum quibus geniti fuerunt integri Homines, etiamsi pumiliones & pauperrimæ. Iterum: Homo non resurgit cum omnibus partibus, quibus nunc constamus, sed tantum iis, que ad vitam constituendam & conservandam omnino necessariæ sunt: partes ergo nutritioni & respirationi dicatae aberunt. Concludit: Homines igitur, qui cum naturali seu ponderoso & crassiori corpore olim obierunt, cum Spirituali quodam microsomate, seu pusillo corpusculo, passerum forsan, immo forsan &

muscarum instar, leves maxime, agiles, & summe mobiles renascentur. Idem Theologi facile animadventent, quo intendat Paradoxo Septimo Art. XIV. negans, corpus humanum in duobus locis eodem tempore esse posse. Paradoxum Octavum Spiritum Hominis attingit: Hic juxta Auctorem Art. XV. specie quidem a materia Corporis longe discrepat, utpote sublimioris longe indolis, & quasi divinæ naturæ particula, attamen est sui generis ȳλη seu materia; quia est substantia, quæ debet necessario habere aliquam suæ naturæ materiam, seu ex aliqua re constare, quia nihil potest fieri ex nihilo. Materiæ vero suæ tenuitate, subtilitate, levitate, mobilitate, agilitate, & pluribus aliis proprietatibus ætherem ipsum longe superabit. Componat vero cum his, quod statim subjicit, Spiritum nullas habere partes, esse indivisibilem. Nos Nonum Paradoxum notamus, afferentis: uti motus Corporis, ita omnes cogitationes mentis a Deo unice & immediate effici: motum spirituum animalium esse tantum occasionem, cur Anima cogitet, & voluntatem Animæ esse tantum occasionem, cur corpus humanum a supremo motus Autore in motum libere catur. Per quæ, quia Spiritus Hominis materialis se habet mere passive, quomodo Liberum Arbitrium Homini relinetur? quomodo motus aliquis poterit esse voluntarius? Nec ex doctrina hac Auctoris erunt, quæ scripsit in fine Articuli XV. Spiritus noster receptas semel ideas simul associare, a se disjungere, in Rationis formam illas connectere, unam ideam ex alia inferre, unum velle, aliud nolle, hanc propositionem admittere, illam rejicere, aliasq; complexas Animi operationes, juxta, imo aliquando contra rectæ rationis principia nunc sibi consonus, nunc inter aestuosas Cogitationum procellas sibi diffonus & quasi naufragus cum libero voluntatis exercitio producere potest. Plura ejusmodi paradoxæ afferre instituti ratio impedit. Sed sufficiet nobis in præsenti hoc Philosophiæ Eclecticæ, quam in hac Academia lectamur, exemplū feliciter & accipientis consentanea veritati, dissentanea repudiantis, isto tamen dissensu honorem meritum, debitamque laudem Autoribus tribuentis. In qua Schola eruditæ Viri juvenes eas progressiones faciunt, ut testimonium publicum annis singulis doctrinæ hujus & virtutis feramus. Id a Facultate nostra sibi dari nuper petierunt, non secundum eruditionem, qua alter alterum vincat, quippe quæ æstimatio favori multum obnoxia esse solet, sed ex consuetudine diu recepta, prout vel gradu Baccalaureatus, vel tempore inscriptionis in matriculam hujus Academiæ antecedit, ordinati:

Henricus Rausch, Silberberga Silesius, Pastor Substitutus Rochiburgensis & Luntzenaviensis.

Samuel



Samuel Ackermann, Schafftadensis, Pastor in militia Electorali Saxonica Prætorianus.

Christian Michael Adolphi, Hirschberga Silesius,

Joh. Frider. Fritzsch, Chemnicensis.

Joh. Daniel Longolius, Bischoffsvverda Misn.

Frider. Benedict. Kettner, Lips.

Valentinus Alberti, Lips.

Gottfried. Theodor. Truebe, Lips.

Adam Henr. Rosenbach, Grimma Misn.

Joh. Anton. Schmid, Lutteringhusa VVestphalus.

Joh. Frider. Mentz, Parvo Tremona Marcanus.

Joh. Paul. Gumprecht, Lauba Lusatius.

Christiern Christiernin, VVesmannus Suecus.

Joh. Michael Zirold, Grœtzschens. Misn.

Conrad. Bœtner, Lauba Lusatius.

Joh. Samuel Richter, Grimma Misn.

Christian Flemig, Gubena Lusatius.

Ioh. David Ladengast, Pegav. Misn.

Sigismund. Schrammius, Geyera Misn.

Ioh. Christian Einigk, Corbussio Misn.

Henr. Graichen, Altenburg. Misn.

Paul. Frider. Hesse, Knautnaundorffio Misn.

Christian Benjamin Otto, Vratislav.

Georg. Ernst Sendler, Zabotho Siles.

Augustin. Hayner, Zitta Lusatius.

Ernest. Salomon Dietscher, VVarenbrucca Saxo.

David Zoelner, Zittav. Lusatius.

Gabriel Jacob Reich, Neostad. Mis.

Ioh.



AK
III
1167

Ioh. David Baer, Freyberga Misn.
Elias Hoffmann, Opfershusa Francus.
Ioh. Venzcke, Falcoburg. Neomarch.
Røetgerus Rigemann, Riga Livonus.
Ioh. Frider. Schmidius, Zitta Lufatus.
Ioh. Christoph. Grabs, Fridersdorffio Siles.
Ioh. Adolph Brotkorb, Gotha Thuring.
Ioh. Gottfried Krancke, Zitta Lusat.
Andreas Rüdiger, Rochlitio Misn.
Gottreich Schuster, Langenheisens, Misn.
Godofr. Sigism. Trovvitzsch, Sehma Misn.
Christian Henr. Erndl, Dresden Mis.
Andreas Bretag, Crosna Siles.
Ioachim von Damm/ Brandenburg. March.
Christ. Godofr. Mörlinus, Ligio-Siles,
Ulricus Iuni, Ulmensis.

Hos Parentibus honestissimis natos, integritate vitæ & morum elegantia
conspicuos, in examine in artibus ingenuis & philosophiæ bene politos com-
perimus, ut summo, quem nostra Facultas largiendi potestatem nacta est,
Magisterij honore dñe crastini XXV, Januarii, volente faciente DEO, exor-
nare decreverimus. Quem actum publicum, ut Rector Academiæ Ma-
gnifice, Illustriſimi Comites, Proceres utriusque Reipublicæ, splendi-
dissima vestrā honoratissimaque præsentia venerabilem efficiatis, vosque,
Juvenes Studiosi præstantissimi, attentione benevolâ ornetis, humili-
ter, officiose & amice rogamus atque obsecramus, vicissim omnia
obsequii, observantiæ, amorisque officiæ polliciti. P. P.,
die XXIII. Januarii, Anno Christiano M DGC.

* * * * *

dol

Wmz

Pou. deg.

He



059818

D
FAC

IN AC

Solenne


a. d. X

Hoch

IV

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Centimetres



Kodak
LICENSED PRODUCT
KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

3/Color
Black


Magenta
White

Red

Green

Cyan

Blue



18-018210
HALLE
(SAALE)
UNIVERSITY LIBRARY

ioncm
ICC.

S
PHI.

ENSI,

II i
1167